Zu der

den 15. und 16. August abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

und der

auf den 17. August festgesetzten

Schulfeierlichkeit

ladet ergebenst ein

Joseph Kabath,
Director des Gymnasiums.



Inhalt.

Gleiwitz,
gedruckt bei Gustav Neumann.

1833.

Titi Flavii Vespasiani Romani imperatoris vita.

Urbs Roma, quæ a Romulo et Remo fratribus condita dicitur, ab initio paruit regibus, qui et bellis et legibus eam ampliarunt. Regibus expulsis institutus est consulatus per Brutum, duo consules ex patriciis creati reipublicæ præfuere. Dum respublica continuis bellis externos fines et imperium propagavit, interna certamina inter patricios et plebejos eam turbarunt, donec utraque pars pæne iisdem juribus frueretur. Bella cum externis populis præcipue cum Pœnis Asiæque incolis gesta immensas divitias Romam tulerunt, singuli duces victoriis opibusque elati præ ceteris potentia excelluerunt, mores simplices majorum perdebantur, seditiones internæ sunt ortæ. Civilia bella inter Marium et Sullam, tumultus a Tiberio et Cajo Græcho moti, Catilinæ conjuratio optime ostendunt, quænam reipublicæ Romanæ conditio fuerit. Literæ quidem artesque florere cœperunt, singuli viri, libertatis amore insignes, quales fuerunt Cato, Cicero aliique libertatem labantem quidem aliquamdiu sustinuerunt, sed cum Crassus, Cæsar atque Pompejus imperium Romanæ civitatis, quæ pæne omnem tum notum orbem terrarum amplexa est, inter se dividerent, nomen reipublicæ solum superfuit. Crasso a Parthis interfecto, Pompejoque a Cæsare devicto et in Aegypto fœdissime trucidato, omnis potestas in Cæsarem cessit, qui sub nomine perpetui dictatoris, regis nomine pluries repudiato, leniter civitatem moderatus est. Brutus, Cassius, eorumque asseclæ, fore ut libertatem restituere possent, sperantes, hoc vanum esse desiderium haud intelligentes, Cæsarem multa variaque molientem publice necarunt. Cæsaris cædes novi belli civilis initium fuit, reipublicæ amici victi et occisi sunt, Octavianus fraudulentus, Cæsaris nepos, Lepidus ignavus, Antoniusque libidinosus societatem inter se inierunt, quæ mox sublata civitatem discordiis civilibus fessam imperio unius tradidit. Octavianus sub nomine principis, licet reipublicæ formas retineret, civitatem rexit. Domi tum res tranquillæ, bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos, verso civitatis statu, nam pauci tantum reliqui erant, qui rempublicam vidissent, nihil usquam prisci et integri

moris, omnes exuta æqualitate, jussa principis exspectarunt, nulla in præsens formidine, dum Augustus, quo titulo honorifico 727 ornatus erat, ætate validus, seque et domum et pacem sustentavit. Tacit. ann. 1, 3, 4. Ceterum ejus privata vita infelix fuit, senis animum multa mala afflixerunt, dissoluta filiæ vita, mors filiorum adoptatorum prioris perfidiæ cum admonere visæ sunt. Augustus quarto decimo anno p. ch. n. et septuagesimo sexto ætatis Nolæ mortem obiit. Privignus Tiberius rerum potitus, senatus ignavia præcipue incitatus et propria indole adjutus timendum constituit imperium, nam fuit intestabilis sævitia, prorupit in omnia scelera ac dedecora, remoto pudore et metu. Periit Miseni octavo septuagesimo ætatis anno, 37 p. ch. eumque secutus est amens Caligula filius Germanici, quacunque vero ratione patris dissimilis. Omni humanitatis sensu abjecto crudelitatem, quæ animum terrore afficit, exercuit, donec morte violenta oppressus est. Non meliore fortuna civitas usa est, quum Claudius deinde stupidus a prætorianis imperator dictus, per tredecim annos imperium teneret. Veneno extinctus a conjuge Agrippina dominationem reliquit Neroni pessimo omnium, homini crudelissimo, qualem vix alium historia novit. Quatuordecim annos nequissimus civitati præfuit et sicuti Tiberius, Caligula et Claudius, a senatu legionibusque damnatus, interfectus est.

In Nerone Cæsarum progenies defecit, exercitusque abhinc imperium ducibus donavere. Interna bella ubique orta, quum non raro plures simul in diversis immensi imperii partibus principes crearentur, omnia miscuere. Neroni successit senex Galba, qui tamen mox insidiis Othonis, cui adoptionem recusaverat, occisus est. Idem Otho nunc invasit imperium, sed cum ad Betriacum a Vitellio, quem germanici exercitus imperatorem renuntiaverant, victus esset levi prœlio, manus sibi intulit. Vitellius imperio potitus, similis Neronis, notabilis fuit sævitia gravi, ingluvie et verocitate. Vespasianus dux copiarum orientalium imperator declaratus Vitellium oppressit, imperiumque Romanum suscepit. Inde ab hoc tempore usque ad Marcum Aurelium, excepto Domitiano, probi imperatores civitati præfuere, qui bonis legibus atque institutis, justitia et humanitate rempublicam moderati sunt.

Titus filius Vespasiani et Domitillæ. cf. Tacit. hist. 1, 10. et Sueton. Vespas. 3. natus est 794. p. R. c. tertio Calendas Januarias, eodem igitur anno, quo Caligula turpem finivit vitam. Pater Titus Flavius Vespasianus ex eadem uxore præterea tulit duos liberos Domitianum enim et Domitillam, cui ipse fuit superstes. Titus noster prope Septizonium ædibus sordidis, cubiculo parvo et obscuro in lucem editus cum pa-

tre cognomen commune habuit, et Titus Flavius Vespasianus est dictus, frater autem a matre Domitilla, Domitianus. Una cum Britannico filio imperatoris Claudii in aula educatus, eadem disciplina et iisdem magistris usus est. Suetonio narrante Britannico fuit familiarissimus, ita ut, cum Britannicus auctore Nerone inter cœnam veneno interficeretur (cf. Tacit. ann. 13, 16) Titus de eadem potione gustasse crederetur et gravi afflictatus esset morbo. Jam in puero exsplenduerunt corporis et animi dotes, forma egregia, præcipuum robur, memoria singularis et docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. Peritissimus fuit utriusque generis militiæ et pedestris et equestris, græcæ latinæque linguæ fuit optime gnarus nec musices rudis. cf. Suet. Tit. 3. Latine græceque vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promtus et facilis, ad extemporalitatem usque; sed ne musicae quidem rudis, ut qui cantaret et psalleret jucunde scienterque. Tacit. hist. 2, 1. Augebat famam ipsius Titi ingenium, quantaecunque fortunae capax, decor oris cum quadam majestate. Eutrop. 7, 21. Titus vir omnium virtutum genere mirabilis —, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus; causas latine egit, poëmata et tragoedias graece composuit. Aurel. Victor epit. de Caesar. 10. Titus a puero praeclaris studiis, probitatis, militiae, literarum instantissime deditus, quo contenderit, animi et corporis muneribus ostendit.

Talibus animi et corporis virtutibus instructus ex more Romanorum stipendia meruit, et tribunus militum in Germania et Britannia militavit. In utraque terra rem militarem maxima industria administravit et cupiditatum turpium, quibus tunc fere omnes duces provincias expilarunt, omnino potens, erga provinciales summa modestia egit, ita ut ejus bonam famam statuæ, imagines et tituli ostenderent. cf. Tacit. hist. 2, 77. ubi Mucianus in oratione ad Vespasianum habita dicit. Tuae domui triumphale nomen: duo juvenes, capax jam imperii alter, et primis militiae annis apud germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei, cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Post stipendia, ut Suetonius tradit, foro operam dedit, honestam magis quam assiduam. Eodem tempore Arricidiam Tertullam duxit uxorem eaque mortua Marciam Furnillam, ex qua filiam Juliam progenuit. Ex quæsturæ deinde munere legionis dux factus judaicas urbes Tarichæas et Gamalam vi expugnavit, ubique fortissimum militem et ducem se præbuit. cf. Suet. Tit. 4. Joseph. d. b j. 3, 10. Dum hæc in Judæa gesta sunt, Romæ Nero interfectus est, et Galba a militibus imperator dictus imperium tenuit. Vespasiano, qui a Nerone dux delectus tum bellum contra Judæos cum

tribus legionibus gessit, nec animus nec votum contra Galbam fuit, qua de causa Titum filium Romam misit, ut imperatori gratularetur de munere. cf. Tacit. 1, 10. 2, 1. Titus Vespasianus e Judaea, incolumi adhuc Galba, missus a patre, causam profectionis, officium erga Principem, et maturam petendis honoribus juventam ferebat. In hoc itinere, quod, ut a sene Galba adoptaretur, susceptum esse, vulgus disperserat, eum comitatus est rex Judææ Agrippa. Joseph. d. b. j. 4, 9, 2. Titus autem, cum Corinthi certos nuntios acciperet de Galbæ interitu simulque audiret, Vitellium arma contra Othonem cepisse, secum deliberavit, num Romam pergeret nec ne, aliquamdiu dubium spes vicit; redire in Syriam constituit. Agrippa comes Romam profectus est, Titus vero oram Achaiae et Asiae, ac laeva Asiae praevectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. v. Tacit. hist. 2, 2. In reditu templum et oraculum Veneris Paphiæ adiit, et, postquam de navigatione consuluit deam, de imperio et de fatis suis ambiguis verbis interrogavit, indeque spem imperium in familiam acciri retulit. Vid. Tacit. hist. 2, 4. Titus, spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati affingit, de navigatione primum consuluit, postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat, caesis compluribus hostiis. Sostratus, (sacerdotis id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta, magnisque consultis annuere Deam videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto, futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus, suspensis provinciarum et exercituum mentibus, ingens rerum fiducia accessit.

Eodem tempore Vespasianus bellum judaicum, ad quod, ut supra dictum, a Nerone missus erat, pæne finiverat, sola Hierosolymorum oppugnatione relicta. Vespasianus, qui teste Tacito acer erat militiæ, agmen anteibat, locum idoneum castris capiebat, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obnitebatur, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepabat, omnino antiquis ducibus par, tribus præfuit legionibus, Mucianus vero, quem e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa, extollebant, præpositus Syriæ, quatuor duxit legiones. Utrique, quamvis moribus magnopere inter se diversi, nunc positis odiis societatem ineunt, cujus auctor Titus fuit. Ante ejus adventum Vespasiani et Muciani exercitus Othonis sacramentum acceperant, sed cum audirent, Othonem et Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire, arma movere voluerunt, freti propriis viribus, nam septem legiones cum Syria et Judæa, Aegyptus duæque legiones, Cappadocia Pontusque,

Asia ceteræque provinciæ, multæ illarum terrarum insulæ a bello non abhorruerunt. Duces militum animi et consilii bene gnari finem belli inter Othonem et Vitellium orti exspectare voluerunt, qua de causa impetum in occasionem distulerunt. Paulo post, cognito Vitellium omnibus esse invisum, Vespasianus bellum meditatur atque arma parat, nutantem Mucianus ceterique legati atque vatum responsa firmant, Alexandriæ exercitus primus imperatorem eum salutat, ceteræ copiæ, reges Sohemus, Antiochus, Agrippa ejus exemplum sequuntur, Vespasianus imperator et Augustus dictus Mucianum Romam præmittit, dum ipse Alexandriæ versatus est, ut, si res posceret, novo conscripto exercitu illum adjuvaret. Vitellius vincitur et necatur, Mucianus Romam victor intrat et Vespasianus, re prospere gesta, a senatu quoque ceterisque provinciis imperator renuntiatur. Titus nunc bello judaico præponitur, pater ei validissimam exercitus partem tradit ad reliqua judaici belli perpetranda. Judæa, quæ regibus paruit, inde ab anno 44 Claudio Romæ regnante, in Romanam provinciam mutata a procuratoribus, qui partim Romani equites, partim liberti erant, administrabatur. Ex more illi procuratores provinciam omni modo vexarunt, ita ut Judæi vehementissime oppressi arma caperent. Inter procuratores Antonius Felix per omnem sævitiam et libidinem jus regium servili ingenio exercuit, sed illum crudelitate superavit Gessius Florus anno 64 procurator, qua de re sub eo bellum ortum est, quod a Vespasiano gestum, Titus nunc Hierosolymis captis finivit. Vid. Tacit. hist. 5, 1. Ejusdem anni (71 p. ch. 824 p. R. c.) principio Caesar Titus, perdomandae Judaeae delectus a patre et praelatis utriusque rebus, militia clarus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat, comitate et alloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Judaea legiones, quinta et decima et quintadecima, vetus Vespasiani miles excepere. Addidit e Syria duodecimam et adductos Alexandria duo et vicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae; simul Agrippa Sohemusque reges, et auxilia regis Antiochi, validaque et solito inter accolas odio infensa Judaeis Arabum manus: multi, quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra fecit.

Titus, cui Roma et opes voluptatesque ante oculos erant, maxima industria operi institit, aggeribus et vineis certare statuit, ne nimis longa expugnatio eum morari videretur. In hac expugnatione Titus fortissimum militem se præbuit, nam ipse duodecim propugnatores duodecim sagittarum ictibus confixit. vid. Eutrop. 7, 21. Suet. Tit. c. 5. Joseph. d. b. j. 5, 6, 6. Frustra pluries ex Judæis petiit, ut urbem traderent, auxilio cœli et falsorum prophetarum verbis freti omnes Romanorum conditiones rejecerunt. Ipsi inter se discordes omni modo urbem turbarunt, tres duces totidemque exercitus intus sævierunt, extremam et latissimam mœnium partem Simo, mediam urbem Joannes, templum Eleazarus tenuerunt. Eleazaro ab Joanne occiso civitas in duas partes discessit, quæ vicissim certarent seque interficerent. Appropinquantibus Romanis utraque pars quidem aliquamdiu pacem fecit, sed mox, cum Romani primo impetu parva clade affecti essent, bellum internum iterum exarsit. Titi prudentia et fortitudine damnum acceptum mox restitutum est, et urbs maximopere munita in dies minor facta, nam arietes murum triplicem, qui urbem circumdedit, vehementer quassarunt, ita ut tandem iis potirentur obsidentes. Antequam nunc interna urbis aggressi sunt, Titus Judæum Josephum pacis oratorem in urbem misit, sed frustra, Judæi maxima pertinacia omnia tolerarunt, quavis pacis conditione repudiata. Fames terribilis intus sæviit, ita ut hominum carne vescerentur, et nobilis femina suum infantem mactaret, ne fame periret. Quo cognito Titus ira inflammatus omni vi urbem invasit, quam etiam excepta arce Sion, quæ vero sola resistere non potuit, occupavit. Dux Romanus humanitate motus saltem templum servare voluit, sed miles titionem in id injecit et licet utraque pars omnem operam adhiberet, ut flammam extingueret, templum igne combustum est. Hierosolyma esse desierant, incolæ, qui ferro, fame et morbo non perierant, venumdati sunt, omnisque natio per orbem terrarum dispersa. Undecies centena millia periisse, historici tradunt. Urbe expugnata milites ducem suum pro vetere Romanorum more imperatorem salutarunt, Titus Romam rediit, ubi 824 p. u. c. cum patre magnificum triumphum egit. vid. Jos. d. b. j. 7, 5, 4. Xiphilinum 66, 7. Suet. Vesp. c. 8. et Tit. c. 6. comp. Orosum 7, 9. P u l c r u m e t i g n o t u m a n t e a c u n c t i s m o r t a l i b u s i n t e r t r e c e n t o s v i g i n t i t r i u m p h o s , q u i a c o n d i t i o n e u r b i s u s q u e a d i d t e m p u s a c t i e r a n t , h o c s p e c t a c u l u m f u i t , p a t r e m e t f i l i u m u n o t r i u m p h a l i c u r r u v e c t o s , g l o r i o s i s s i m a m a b h i s , q u i p a t r e m e t f i l i u m o f f e n d e r a n t , v i c t o r i a m r e p o r t a s s e . Ob hanc de Judæis victoriam partam Romæ quoque arcus triumphalis erectus est, in quo omnes Titi spolia erant expressa, triumphum ipsum ornarunt Simo unus ducum captorum, aurea vasa ex templo sumta et cetera illius clari ædificii monumenta.

Dehinc Titus administrandæ reipublicæ particeps fuit, una cum patre tribunicia potestate et censura defunctus est et septies consulatum gessit, nempe 823 et 825, tum ab anno 827 — 830 et septimum 832. Vid. Plinium in præfat. hist. natur. ad Titum: Triumphalis et Censorius tu, sexiesque consul ac tribuniciae potestatis particeps. Nomine patris epistolas dictavit, edicta conscripsit et orationes in senatu recitavit quæstoris vice vid. Suet. Tit. c. 6. Xiphili 66, 10, fuit nempe imperatorum tempore officium quæstorum, ærarii cura amissa, recitare principis loco orationes. vid. Suet. Aug. 65. Nero 15. Tacit. ann. 16, 27.

Patre regnante Titus quoque præfecturam prætoriam susceperat, quo in munere vero aliquanto egit asperius et durius, nam quemque sibi suspectum e medio sustulit. cf. Aur. Vict. epit. de Cæs. c. 10. Namque praefecturam praetorianam patre imperante adeptus, suspectum quemque et oppositum sibi, immissis, qui per theatra et castris invidiosa jactantes ad poenam poscerent, quasi criminis convictos oppressit. Suet. Tit. c. 6. Siquidem suspectissimum quemque sibi, summissis, qui per theatra et castra quasi consensu ad poenam deposcerent, haud cunctanter oppressit. Inter viros, qui tali modo Tito jubente necati sunt, quoque A. Cæcina nominatur, idem, qui Vitellii dux ad Vespasiani exercitum defecerat, quum Mucianus Romæ appropinquaret. Variæ hujus necis causæ ab historicis traduntur, Suetonius nempe, cui assentit Xiphilinus 66, 16 illum conjurationem inter milites parasse narrat, dum Victor ab hac sententia discedens dicit: Cæcinam interfectum fuisse ob suspicionem stupratæ Berenices. vid. Suet. Tit. 6. In his A. Caecinam consularem virum, vocatum ad coenam, ac vixdum triclinio egressum, confodi jussit; sane urgente discrimine, quum etiam chirographum ejus praeparatae apud milites concionis deprehendisset. Vict. epit. c. 10. In quis Caecinam consularem adhibitum coenae, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratae Berenices uxoris suae jugulari jussit.

Veteres quidem hunc modum agendi Tito magnopere crimini vertunt, sed tamen, licet eum omni crudelitatis culpa absolvere non audeamus, hac de causa excusandus videtur, quum post civile inter Vitellium et Vespasianum gestum bellum, multi, quibus imperatoris novi severitas displiceret, quique Vitellianum libidinosum imperium desiderarent, assiduas in Vespasianum moverent seditiones. vid. Suet. Vesp. c. 25. Non solum vero sævitiam illorum temporum historici Tito objiciunt, sed etiam luxuriam, immodicam libidinem et rapacitatem. Cum amicis famosis commissationes ad mediam noctem extendit, et præcipue Romanis invisus erat ob amorem Berenices, cui quamvis e

Judæa natæ nuptias pollicitus ferebatur; exoletorum et spadonum greges eum circumdederunt, et cognitionibus patris nundinari et præmiari solitus est. Berenice illa, cujus jam pluries mentionem fecimus, soror fuit regis Agrippæ, qui cum Tito, Nerone mortuo, Romam profectus est, pulcherrimam virginem Titus vehementer amavit, ita ut essent, qui crederent; se accensum desiderio Berenices reginæ illud iter vertisse; una cum Tito in palatio habitavit, et uxoris partes ubique egit. vid. Xiph. 66, 15. Tacitus, qui histor. 2, 2 de hac re loquitur, Titi juvenilem animum a Berenice quidem non abhoruisse, dicit, sed illum amorem gerendis rebus non fuisse impedimentum addit. Fuere, qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent. Neque abhorrebat juvenilis animus a Berenice, sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum, laetam adolescentiam egit, suo quam patris imperio modestior. Titus quidem sævitia, quam exercuit in adversarios et cæde eorum in posterum securitati suæ cavit, sed simul his omnibus vitiis, Romanorum odium et invidiam ita contraxit, ut eum alium Neronem prædicarent ejusque imperium maximopere respuerent. Suet. Tit. 7. Denique propalam alium Neronem et opinabantur et praedicabant. Aurel. Vict. epit. c. 10. Rapinarum cupidum, unde Neronem cuncti opinantes vocantesque summam rerum nactum graviter acceperant.

Hoc rerum statu inter spem metumque Romani ejus imperium, quod anno 79 p. Ch. iniit, exspectarunt, sed civium exspectationem suaviter fefellit. Simulac patriæ curam suscepit, priorem vitam ita mutavit, ut maximo jure deliciæ atque amor humani generis appellaretur. Jam antea non raro clementiæ et egregii animi specimina dedit, sed præ omnibus ejus pietas in fratrem Domitianum, qui jam juvenis pessimos mores et turpem indolem præ se tulit, commemoranda est, vid. Tacit. histor. 4, 51, 52. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus, adversam de Domitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur. Titum — — multo apud patrem sermone orasse dicebatur, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret. Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad junctissimos pertineant, ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus, haud aeque Domitiano

mitigatus, quam Titi pietate gaudens, bono esse animo jubet, belloque et armis rempublicam attollere; sibi pacem domumque curae fore.

Titus, postquam imperium adeptus est, statim Berenicem, quæ peregrina omnibus civibus erat invisa, ab urbe dimisit, et licet famosa uxor omnes artes adhiberet, ut Titi edictum irritum faceret, urbem relinquere debuit; enervatorum greges abire jussit, et optimorum amicorum consuetudine nunc usus est. Civium opes sacrosanctas habuit, nemini aliquid ademit, ipsis concessis et solitis collationibus rejectis, abstinuit alieno ut si quis unquam vid. Suet. Tit. 7. Hoc facto, ut bene Victor notat, quasi signum mutatæ intemperantiæ protulit. Illum civium amorem, quem jam pater sibi paraverat, filius quavis ratione egregie augere studuit, nam vix imperium aggressus edictum edidit, ut donata concessaque a prioribus imperatoribus, quæque sequentes firmare soliti sunt, possidentium essent. Continuis in seditionibus, quibus imperatores imperio potiti sunt, illa beneficia non raro a successoribus negata erant, præcipue si homines illa accepissent, qui imperantibus non placuerunt. Quavis igitur imperii mutatione timendum erat, ne, quæ prior imperator concessisset, adimerentur, qua de causa Titus primus illo edicto hunc timorem sustulit. vid. Xiph. 66, 19. Titus edictum promulgavit, quo a prioribus principibus data confirmavit. Eum seriores secuti sunt, ut nominatim de Nerva ex Plinii epistolis constat. Quidem tum senatus fuit, qui ex constitutione Romanæ reipublicæ solus leges ferre debuit, consules nempe res deliberandas proposuerunt, et senatus decrevit, ipsis principibus omnes honores tribuit. Quæ senatorum jura nunc omnino erant deleta, senatores a principibus delecti et e curia repudiati, omni potestate privati, quæ illi tyranni jusserunt, confirmarunt, si quis forsan verbis vel vultu vel scriptis principibus adversaretur, audaciam morte luit. Jam Vespasianus jura senatus restituerat, Titus vero bene intelligens dignitatem senatoriam, omni potestate ademta, umbram tantum esse, sacramento pollicitus est, fore ut nemo Senatorum, si audacius et liberius in curia diceret, puniretur. Civium amorem præcipue eo sibi conciliavit, quod delatores et mandatores pœna affecit. Illud genus hominum publico exitio repertum, qui sub imperatoribus ante Vespasianum ubique timorem et terrorem tulerant, maximopere antea pollebat. Delatores præmiis eiiciebantur vid. Suet. Tib. c. 61. decreta accusatoribus praecipua praemia nonnunquam et testibus: nemini delatorum fides abrogata, neque suam neque suorum injuriam persequebantur, sed sola præmii spe, solo lucri amore aut gratiæ ineundæ deferebant quoscunque reos ad principem aut magistratum, nam opes damnatorum partim fisco addicebantur partim accusatoribus præmio dabantur.

Servi, quibus reipublicæ tempore in dominum testimonium dare non licuit, liberti dominorum et patronorum accusatores exstiterunt, ubique turpissimi homines ipsis legibus principum excitati quemvis probum persequebantur, supplicia, exilia, divitiarum confiscationes (sit venia verbo) usitatæ erant pœnæ. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum, qua de causa multi nobiles Romani se interfecerunt vid. Suet. Tit. 61. Tacit. ann. 3, 16. 4, 33. 6, 29. Illis delatoribus summi honores et maxima munera deferebantur. vid. Juven. Saty. 10, 87. 4, 48. Hoc tristi rerum statu, ubi quivis de vita timuit, Titus legibus impedivit, ne malum latius reperet, nam pœnis duris accusatores deterruit vid. Suet. Tit. 8. Inter adversa temporum et delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus caesos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam, partim subjici, ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coërceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de cujusdem defunctorum statu, ultra certos annos.

Non solum bonis justisque legibus omnium animos sibi obstrinxit, sed etiam, ut voluptates populo compararet, munera apparatissima atque largissima edidit. Uno ore omnes illius temporis scriptores laudant magnificentiam et splendorem ludorum, quos Titus celebravit. Per centum dies in populi gratiam dies festi agebantur, quibus in colendis Suetonio narrante tanta comitate populum universum tractavit, ut non ad suum sed ad spectantium arbitrium editurum se munus professus sit. Amphitheatrum a patre inchoatum perfecit, ibique illos ludos memorabiles celebravit. Illud amphitheatrum sub nomine amphitheatri Vespasiani vel Titi notum, cujus reliquiæ et nostri temporis homines admiratione et stupore implent, Vespasianus post bellum judaicum incepit, sed non absolvit. Plura quidem Romæ erant amphitheatra ut Caligulæ, Claudii, sed omnia nostrum magnitudine superavit, nam habuit immensum circuitum tantamque altitudinem, ut oculus eam vix metiri potuerit. Quæ magnitudo fuerit, ex spectantium numero patet, octoginta millia nempe hominum, vel ut alii tradunt, centum millia cepit, triginta millibus Judæorum in eo ædificando Vespasianum usum fuisse narrant. Titus amphitheatro dedicato, thermis juxta celeriter exstructis vid. Suet. Tit. c. 7. et Mart. de spect. 2. Hic, ubi miramur velocia munera, thermas et cet. certamina gladiatora, prœlium navale, venationes dedit. Uno die quinque millia ferarum vel Xiphilino narrante novem millia in arenam ducta sunt. Idem historicus 66, 25 ad illos ludos magnificos describendos dicit: Grues enim certaverunt inter se; et

quatuor elephanti, ac pecorum ferarumque millia novem interfecta sunt, quae mulieres quoque, non tamen nobiles, una confecerunt. Multi viri certaverunt munere gladiatorio; multi quoque conferti pedestria ac navalia proelia commiserunt. Nam amphitheatro isto repente aqua impleto, in ipsum equos taurosque, aliaque mansueta animalia introduxit, quae condocefacta fuerant eadem in aqua facere omnia, quae in terra consueverant. Introduxit et homines in navibus, qui in Corcyrenses et Corinthios divisi, proelio ibi navali certaverunt. Extra urbem pugnatum est ab aliis in nemore Caji et Lucii, quod Augustus effodi ob eandem causam jusserat. Ibi enim primo die ludus gladiatorius, caedesque belluarum facta est; lacu, qua parte statuas spectat, asseribus inaedificato, et foris ac tabulatis undique circumdato. Postridie ejus diei ludi circenses, tertio die navale proelium factum est: post haec pedestris pugna consequuta est. Nam Athenienses, superatis Syracusanis (his enim nominibus usi pugnaverunt) in insulam exscenderunt, et murum quendam adorti, qui circum ejus loci monumentum ductus erat, ceperunt. Fuere per centum dies ejus modi spectacula pascendis oculis. Sed et plebi utile fuit, quod Titus parvos globos ligneos de superiore loco jaceret in theatrum, qui tesseram continebant alicujus esculenti, vestisve aut vasis argentei aut aurei, equorumque et jumentorum, et pecudum, ac mancipiorum. Quos globos qui rapuisset, attulissetque ad dispensatores munerum; quod inscriptum erat, consequebatur.

In omnibus, quæ suscepit, populi salutem ante oculos habuit, qua de causa petentibus nihil negavit, neminemque sine spe dimisit, vid. Suet. Tit. c. 8. In ceteris vero desideriis hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset: Non oportere, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere. Notanda sunt hac in occasiane verba Titi, quæ, ut semper in cujusvis principis animo versentur, digna sunt, nam, quum quondam super cænam recordatus esset, se nihil boni eo die præstitisse, dixit. Amici, hodie diem perdidi. vid. Aurel. Vict. epit. c. 10. Quadam etiam die, recondans vesperi nihil se cuiquam praestitisse, venerando coelestique dicto: Amici, ait, perdidimus diem. compar. Eutrop. 7, 21. Suet. Tit. c. 8.

et Themistic. orat. 6. *Τίτου τοῦ γενναίου τὸ λαμπρὸν καὶ μέγα ἐκεῖνο ῥῆμα, ὅτι τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, οὐδὲν γὰρ εὖ ἐποίησα.* Ut ostenderet populo, se ubique ejus amicum esse, in thermis suis una cum civibus lavit. Ne cogeretur quemquam civium morte afficere, patre mortuo munus pontificis accepit, et omnes testantur, sub ejus imperio neminem esse interfectum. vid. Suet. Tit. 9. Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem praestitit: nec auctor posthac cujusdam necis, nec conscius.

Licet erga omnes benevolentissimus esset, tamen vituperationem et contumeliam effugere non potuit, ejus autem magnum animum talia falsa non tetigerunt. Nemo, inquit, injuria me afficere aut contumeliam mihi inferre potest, nam nihil reprehensione dignum ago, falsa non respicio, perire malo, quam alios perdere. Moribus Romanorum perpetua cæde aliisque vitiis corruptis, non mirum est, quod ipsi nobiles, quos tantis beneficiis affecit, conjurationem contra eum moverent, sed propositi tenax convictos ita dimisit, ut in eadem familiaritate, quam antea haberet. vid. Aurel. Vict. epit. c. 10. Clementiam vero usque eo perduxit, ut, amplissimi ordinis duo quum adversus eum conjurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primo: post deductos in spectaculum se utrimque assidere jusserit, petitoque ex industria mirmillonum, quorum pugnae visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiserit; quibus perculsis et constantiam mirantibus diceret: Videtisne potestates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? Imo, Suetonius c. 9. addit, confestim ad alterius matrem, quæ aberat, cursores suos misit, qui anxiæ salvum filium nunciarent. - Imperii cupidum Domitianum, qui novis rebus semper studuit, omni modo sibi conciliare conatus est, sed frustra, ille quavis turpitudine famosus homo, licet esset potestatis particeps, in Titum insidias parare non desiit. Titus, qui jam, ut supra dictum, fratrem apud patrem tam egregie defenderat, nunc quoque veniam ei dedit, et tali modo in eum se gessit, quasi omnis culpæ vacuus esset. vid. Aur. Victor. epit. c. 13. Fratrem quoque Domitianum, parantem insidias militumque animos sollicitantem, flens saepius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod et se volente esset obventurum ei, et jam haberet, cum sit particeps potestatis. Suet. Tit. c. 9. Fratrem, insidiari sibi non desinentem, sed paene ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, nec seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit; sed ut a primo die imperii,

consortem successoremque testari perseveravit, nonnunquam secreto precibus et lacrimis orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.

Dum Titus continuo mala, quibus Romani antea affecti erant, sanare studuit, dum ubique curavit, ut justitia exerceretur et leges observarentur, dum omni modo vitia priorum principum compensavit et solum de salute civium cogitavit, tristia et terribilia in Campania accidere, quæ imperatoris animum maximopere afflixerunt. Vesuvius mons haud procul Neapoli ardere cœpit, et circumjacentes regiones ita devastavit, ut ne vestigium quidem urbium, vicorum et villarum, quibus Campania abundavit, superesset. vid. Martialis epigr. 4, 44:

Hic est pampineis viridis modo Vesuvius umbris;
Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
Haec juga, quam Nysae colles, plus Bacchus amavit,
Hoc nuper Satyri monte dedere choros,
Haec Veneris sedes, Lacedaemone gratior illi;
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis et tristi mersa favilla;
Nec superi vellent, hoc licuisse sibi.

Urbes Pompeji et Herculanum, jam antea Neronis tempore 816 p. r. c. terræ motu dirutæ, per illam conflagrationem penitus eversæ sunt, non flammis deletæ, sed immensa erumpentium cinerum mole ita repente obrutæ, ut omnes fere incolæ perirent. Nostro quoque tempore illius eruptionis descriptionem legentes terror invadit atque miseratio. Forsan lectores, quibus Xiphilinus et Plinius non ad manus sunt, legere juvat, quæ illi tradunt, qua de causa, sperans fore ut digressioni huic venia sit, illa addam. Xiphilinus in vita Titi, postquam de monte Vesuvio ejusque annua conflagratione et eruptione plura locutus est, sic pergit: Et quamvis caetera, quae quondam acciderunt, magna et inusitata esse visa sint iis, qui quovis tempore illa oculis usurparunt; tamen, vel omnia conjuncta in unum, exilia habeantur necesse est ad ea, quae tum evenerunt. Res ita habebat: magnus numerus hominum, magnitudine sua omnem humanam naturam excedentium, quales gigantes pinguntur, modo in monte, modo in regione circumjacente, ac proximis civitatibus, interdiu noctuque in terra vagari, versarique in aëre visus est. Post haec consequuta est maxima siccitas, ac repente ita graves terrae motus facti, ut et omnis ea planities fervore quodam succuteretur,

et summa quaeque subsultarent. Adhaec sonitus cum subterranei, tonitrubus, tum super terram, mugitibus similes, extiterunt. Deinde mare simul fremere, coelum una personare, ingensque et repentinus fragor, quasi montes simul corruerent, exaudiri. Tum exsilire primum immensi lapides, et ad summos vertices pertingere; deinde magna copia ignis fumique, ita ut omnem aërem obscuraret, occultaretque solem non aliter, quam si defecisset. — Igitur ex die nox, et tenebrae ex luce factae erant, putantibus nonnullis, gigantes resurgere, quod multa *tunc* quoque eorum simulacra per fumum conspicerentur, quodque praeterea clangor quidam tubarum audiretur. Alii existimabant, aut mundum universum in chaos redigi, aut igne consumi; ob eamque causam properabant alii ex aedibus in vias, alii de viis in aedes confugere; rursus alii e mari in continentem, alii ex continenti in mare se recepere conturbati; ea omnia, quae abessent a se, existimantes tutiora rebus praesentibus. Interea dum haec fiebant, simul ineffabilis copia cineris a vento egesta, terram pariter, et mare atque aëra totum occupavit: quae res multa damna (ut fors tulerat) hominibus, agris, pecoribus importavit, pisces, volucresque omnes peremit, duasque integras urbes, Herculanum et Pompejos, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremo tantus fuit cinis, ut pars inde pervenerit in Africam, Syriam, et Aegyptum, introjeritque Romam: ejusque aërem compleverit, et solem obscuraverit. Nec mediocris etiam Romae trepidatio complures ad dies orta est, quum omnes ignorarent id, quod factum erat, nec quid esset, conjectura assequi possent. Itaque et ii putare coeperunt, omnia sursum deorsum ferri, solemque in terram delapsum extingui, ac terram in coelum adscendere. Quanquam autem hic cinis non statim attulit magna incommoda populo Romano, tamen idem postea morbum pestilentem et gravem immisit. Plinius in duabas epistolis ad Tacitum datis lib. 6, 16, 20. priore loco mortem avunculi Plinii majoris viri insignis celebrat atque ibi id unum agit, ut Plinii animum, quo novum miraculum propius nosse, atque periclitantibus succurrere voluerit, tum mortis rationem Tacito posterisque tradat, altero vero incendium ipsum his verbis accuratius describit: Praecesserat per multos dies tremor terrae minus formidolosus, quia Campaniae solitus: illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, sed verti crederentur. — Jam hora

diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies; jam quassatis circumjacentibus tectis, quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. Tum demum excedere oppido (Miseno) visum. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine abeuntes premit et impellit. Egressi tecta consistimus. Multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula, quae produci jusseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant. Praeterea mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbatur. Certe processerat littus multaque animalia maris arenis siccis detinebat. Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat: fulgoribus illae et similes et majores erant. — — nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria. Cinxerat Capreas, et absconderat; Miseni, quod procurrit, abstulerat. — Jam cinis, adhuc tamen rarus: respicio; densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terra sequebatur. Deflectamus, inquam, dum videmus, ne in via strati comitantium turba in tenebris obteramur. Vix consederamus, et nox, non quasi illunis et nubila, sed qualis in locis clausis lumine exstincto. Audires ululatus feminarum, infantium queritatus, clamores virorum; alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant; hi suum casum, et illi suorum miserabantur; erant, qui metu mortis mortem precarentur. Multi ad deos manus tollere, plures, nusquam jam deos ullos, aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant, qui Miseni fuisse, illud ruisse, illud ardere, falso, sed credentibus nuntiabant. Paullum reluxit; quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur; et ignis quidem longius subsistit; tenebrae rursus, cinis rursus multus et gravis; hunc identidem adsurgentes excutiebamus; operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus. — Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve decessit; mox dies verus, sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse, cum de-

ficit, solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere, tanquam nive, obducta.

Haec calamitas, quae 832 a. u. c. 79 p. Ch. accidit, Tito, quavis virtute insigni, opulentum auxilium ubique ferendi, occasionem dedit. Fecit, quæ potuit, ut damnum resarciret. Testibus Suetonio et Xiphilino statim duos viros consulares, quibus multum pecuniæ dedit, restituendæ Campaniæ misit. Bona eorum, qui Vesuvio oppressi erant, quorumque heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. cf. Xiph. 66, 24. Suet. Tit. c. 8. Lapides nostro tempore inventi satis indicant, permulta per Titum esse restituta. Dum, ut Xiphilinus narrat, ad calamitatem Campaniæ visendam illuc profectus est, anno 833 ignis subito exortus magnam Romæ partem delevit. Incendium, quod per tres dies noctesque fuit vid. Suet. Tit 8. Victor. epit. c. 10. absumsit præter privata aedificia Serapidis et Isidis fana, templum Neptuni, balneum Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, theatrum Balbi, scenam Pompeji, Octaviana ædificia una cum libris, templum Jovis Capitolini cum proximis templis. Titus, ne ullo modo cives premeret aut vexaret, illa ædificia publica sibi, non civitati periisse testatus est, et proprio sumtu ea restituit. Nec a civitatibus, nec a privatis, nec a regibus, licet ei multa dare vellent et pollicerentur, aliquid accepit. cf. Suet. Tit. c. 8. Urbis incendio nihil, nisi sibi, publice perisse testatus, cuncta praetoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit; praeposuitque complures ex equestri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. Lues quoque, quanta non antea, illas calamitates secuta est. Eusebius quidem in chronicis eam accidisse sub patre Vespasiano et per multos dies decem millia hominum singulis diebus periisse narrat, sed Suetonius, Aurelius Victor et Xiphilinus, qui cineri e Vesuvio ejecto eam tribuit, hac pestilentia sub imperio Titi Romanos correptos fuisse dicunt. Titus salutem civium curans, omnia ad mala lenienda adhibuit. cf. Suet. Tit. c. 8. Medendae valetudini, leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere. Aurel. Vict. epit. c. 10. Quibus tamen malis, nullo vexato, pecunia propria subvenit, cunctis remediorum generibus, nunc aegrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos.

Tam multa adversa, quibus Italia afficiebatur, quadam ratione felici belli exitu, quod Romani tum in Britannia duce Agricola gerebant, compensata sunt. Cn. Julius Agricola veteri et illustri Forojuliensium colonia ortus, natus Id. Jun. 790 a. u. c. patre Julio Græcino senatorii ordinis et matre Julia Procilla, postquam per omnem honesta-

rum artium cultum pueritiam et adolescentiam transegit, castrorum rudimenta in Suetonii Paulini Britanniæ præfecti et ducis contubernio posuit. Reversus Romam ad magistratus capessendos, Domitiam Decidianam duxit et post honores quæsturæ et præturæ legioni vicesimæ in Britannia præpositus est. Redeuntem Vespasianus Aquitaniæ præfecit. Gessit deinde consulatum 830, hinc provinciam Britanniam administrandam accepit, quam per octo annos 831 — 838 universam perdomuit. vid. Tacit. Agricolam. Ob victorias ibi reportatas Titus quintum decimum imperator appellatus est 832, Agricola nempe Tito regnante Ordovices devicit, et insulam Monam aliasque Britanniæ partes occupavit.

Titus spectaculis supra memoratis absolutis tristis in Sabinos profectus est, ibique diem supremum obiit in eadem, qua pater villa vel, Xiphilino narrante, in iisdem aquis, in quibus pater, aquis nempe Cutiliis. Antequan mortem cum vita commutavit, cœlum suspexisse traditur, multumque conquestus in uno se tantum deliquisse dixit. Id autem, quid esset, non aperuit, variaque conjiciunt veteres. vid. Suet. Tit. 10. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, quum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis coelum, multumque conquestus, eripi sibi vitam immerenti. Neque enim exstare ullum suum factum poenitendum, excepto duntaxat uno. Id, quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrat. Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse, persancte Domitia jurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset, immo etiam gloriatura, quod illi promtissimum erat in omnibus probris. Xiphilinum 66, 26. Titus moriens, in uno tantum deliqui, dixit, quid esset, non indicavit, nec quisquam certo novit, illi nempe hoc, alii aliud conjiciunt. Opinio valet, ut nonnulli tradunt, quod cum Domitia fratris uxore consuetudinem habuisset; alii putant, (quibus assentior) quod Domitianum manifesto deprehensum in apparatu insidiarum, non interfecisset, sed id ab eo pati maluisset, et quod tali viro imperium tradidisset. Inter recentes quidam huic sententiæ accedunt, alii Titum de aliquo insigni aut flagitio aut scelere a se quondam patrato sensisse putant, imo unus de excisione Hierosolymorum cogitavit.

Inter veteres magna dissensio est, num Titus sua morte mortuus sit neç ne, multi enim a fratre Domitiano eum necatum esse opinantur. vid. Xiph. 66, 26. Fama

est, fratrem ei mortem attulisse; praesertim, quod insidiis ab eo petitus ante fuerat, alii morbo exstinctum tradunt. Quum enim adhuc respiraret, possetque forsan convalescere, Domitianus ipsum in arcam plenam nivis conjecit, quo celerius moreretur. Aurel. Vict. Cæs. 10. 11. Amphitheatri opere perfecto, lautusque veneno interiit. Igitur Domitianus fratris atque imperatoris optimi nece, privato scelere publicoque amentior, simul maculosae adolescentiae praedas, caedem, supplicia agere coepit. Comp. Suet. Domit. 2. Neque cessavit (Domitianus) insidias struere fratri clam palamque: quoad correptum gravi valetudine, priusquam plane efflaret animam, pro mortuo deseri jussit &c. Huic sententiæ, ut Eusebius tradit, alii accedunt, dicit enim: Ut Graeci narrant, Domitianus eum veneno interfecit. Sunt quoque, qui dicant, eum exstinctum fuisse lepore marino, cf. Philostratus Apollo: 6, 32. Eusebius, Titum musca in cerebrum ejus inmissa periisse refert. Alii vero ejus mortem morbo attribuunt, vid. Eutrop. 7, 22. Per haec inusitato favore dilectus morbo periit. Aurel. Victor epit. 10. Apud Sabinos febri interiit. Suet. Tit. c. 10. Febrim nactus &c. Plutarchus de tuenda sanitate, Titum inter eos refert, quos balneum perdidit, et qui jam cibum capere non possunt, nisi loti. Inconstantia historicorum superflue ostendit, nihil certi de ejus morte in vulgus emanasse, sed haud injuria conjicere possumus, imperii cupidum Domitianum eum interfecisse.

Titus mortuus est Idibus Septembris 834 a. u. c. 81 p. Ch. regnavitque igitur duos annos, duos menses et viginti dies, quæ vera est ratio, quum Vespasianus d. 23 Jun. 832 Titus vero d. 13 Sept. 834 obierit. vid. Xiphil. 66, 18. Nam ab inito imperio vixit biennium ac menses duos et viginti dies. Eund. 66, 26. Regnavit annos duos, menses duos, dies viginti. Suet. Tit. c. 11. Excessit Idibus Septembris post biennium ac menses duos diesque viginti, quam successerat patri. Aurel. Vict. epit. 10. Titus imperavit annos duos et menses duos diesque viginti. Eutropius 7, 22 biennium octo menses et viginti dies et Aurel. Vict. Cæs. 10. biennium et fere novem menses eum imperasse tradunt, hoc autem falsum esse ex dictis patet.

De ætatis anno inter se discrepant scriptores. vid. Suet. Tit. 11. Excessit altero et quadragesimo aetatis anno. Eutrop. 7, 22. Periit morbo aetatis anno altero et quadragesimo. Aurel. Vict. epit. 10. Vixit annos quadraginta unum. Xiph. 66, 18. Nam ab inito imperio vixit biennium, ac menses duos et viginti dies, natus annos novem ac triginta et quin-

que menses et viginti quinque dies; quo indicat Titum altero et quadragesimo vitae anno mortuum esse. Omnes errant; Suetonius, cui vetus quoque assentitur calendarium, c. i. diserte tradit: Titum natum fuisse d. 30. Decembris 794 a. u. c. et cum non sit, cur de veritate hujus indicii dubitemus, quia Suetonius in tempore nativitatis accuratior est, Titum novem et triginta annos, octo menses et quindecim dies vixisse patet. comp. Aurel. Vict. Cæs. 10. Interiit anno aevi quadragesimo.

Mors Titi urbem maximo luctu implevit, quasi orbem terrarum custode perpetuo orbatum defleret, quivis se patrem amisisse credidit, qua de causa Cedrenus, vel is, unde habet Cedrenus, dicit: Talis luctus ob Titi obitum omnes Romanos cepit, ut diu ejus recordantes ejusque virtutes celebrantes publice et privatim lacrymis non temperarent, quasi propria calamitate quivis esset correptus. Vid. Suet. Tit. 11. Quod ut palam factum est, non secus atque in domestico luctu moerentibus publice cunctis, Senatus, priusquam edicto convocaretur, ad curiam concurrit, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque congessit, quantas ne vivo quidem unquam et praesenti. Eutrop. 7, 22. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus, obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo unquam egerat, nec praesenti. Inter deos relatus est.

Heimbrod.

Emendanda.

Pag. 3, lin. 10, leg. Graccho.
— 4, — 24, — voracitate.
— 8, — 15, — pro iis, eo.
— — — 33, — arcus quoque.
— 9, — 9, — præfecturam quoque.
— — — 17, — A. Cæcina quoque.
Pag. 10, lin. 8, leg. abhorruisse.
— — — 27, — Titus.
— 11, — 19, — Tum quidem.
— 12, — 33, — gladiatoria.
— 13, — 30, — occasione.
— — — 33, — recordans.